

426-4 Lit

1792

JONÆ CONRADI SCHRAMMII
 S. S. TH. D. ET PROF. PHILOS. PUBL.
 ET EXTRAORDINARII

PROGRAMMA

DE

CAUSIS PROPTER QUAS SUSPECTUM SESE APVD ERVDITOS REDDIDE- RIT PHILOSOPHVS CL. JOH. LOKKIVS

LECTIONIBVS PVBLICIS
 IN LIBRVM EJVVS PRIMVM
 DE INTELLECTV HVMANO
 PRÆMISSVM.



HELMSTADII,

TYPIS GEORG. WOLFGANGI HAMMII, ACAD. TYPOGR.

ogr. erud.
 609,25

Kitt. Erud. Sing. — Vol. Last. — 1792

IOHANNES CONRADUS JOHANNAMMI
SE. TH. D. ET PROF. PHILOS. PUBL.
ET EXTRAORDINARIUS

PROGRAMMA

DE

CAUSIS PROPTER

QUAS SUSPECTUM SESE

APUD ERVITOS REDDIDE

RIT PHILOSOPHVS CL.

IOH. LOKKIUS

LECTORIBVS PARSICIS

IN LIBR. H. B. P. P. M. N. M.

DE INTELLECTU FIVIANO

P. R. A. M. I. S. S. N. M.



HELMSTADT

IOHANNES CONRADUS JOHANNAMMI, SE. TH. D. ET PROF. PHILOS. PUBL. ET EXTRAORDINARIUS



JON. CONTR. SCHRAMMIVS D.

AMICO LECTORI

ΕΥΧΑΙΡΕΙΝ!



Hæc Epida equidem Dissertatio est, quam Logicae Arti sub finem primi Philosophiæ suæ voluminis subjungit Vir Cl. Joh. Clericus, de *Argumento Theologico ab invidia ducto*; docetque exemplis ab Hieronymo præcipue & aliis quibusdam doctoribus desumptis, cum melioribus argumentis carent, Theologos nonnullos malis artibus uti, quibus famæ adversariorum atque estimationi apud alios invidiam cieant, & quantum possint detrahant. Unde ad hoc novum sed pessimum tamen argumentandi genus adductus sit, quod peculiari operâ describeret Autor, aut cur potius Theologis tanquam proprium tribuat, certi quidem non sumus; ita verò suspicamur, quod occasionem forte dederit, quicquid litium ipsi sæpe cum Theologis, quos non poterat non offendere liberiori scribendi genere, intercessit. Sed verò cavendum est, ne invitos huc pertrahamus viros doctos ac probos, quotquot rationibus haud spernendis fraudes

A 2

sæpe

fæpe diffentientium detexere, atque adeo applausum illum, quem apud imperitiores, qui plerumque maximam partem constituere solent, sententiæ suæ conciliauerant alii, alii ferme extorserant, ac temerarium quendam & sponte quasi suâ natum assensum sustulerunt. Quod si enim inter omnes eruditos laudabilis ea consuetudo est, ut, quæ perperam in lucem proferuntur vel uberiori expositione indigent, illa communi quadam in gratiam veritatis ac justitiæ examinent censurâ, cur non idem jus Theologis fuerit relictum, qui sibi suisque rebus eo magis timent, quo pluris illarum interest, & quò majora momenta inde dependent?

Mitemus jam virum illum eruditum, & ad Philosophum Anglum, qui, dum vixit, isti amicissimus fuit, non minori fama & ingenii & doctrinæ inclitum, JOHANNEM LOKKIUM, nos dissertatione hac convertemus. Obiit ille anno MDCCIV, tribus quidem septuagenario major; neque huic laudes, quas mortuo conscripsit Clericus Dissertatione de vita ipsius, promeritas utique nec vanas invidemus. Erat certe, quando adhuc literis incumberebat Lokkius, quod quidem per totum vitæ curriculum & usque ad ipsum ex illâ obitum factum est, vir industriâ ac ingenio singulari, subtilis admodum ac felix in rebus ignotis indagandis, quo accedebat Mathematica quædam dexteritas, qua rite unum ex altero deducebat, experientia item rerum naturalium, siquidem Medicinæ operam dederat, ut ut non exerceret publice, ac tandem etiam flumen dicendi, quo cogitatis jucunditatem quandam aspergebat. Sunt inde qui cum illustri celeberrimoque Tschirnhausio hoc pacto eodem loco habent, & quod ille Germanis, hunc
Anglia

Anglis suis præstitisse autumant. Verùm hæc impedire non potuerunt, quin civibus æque suis atque exteris propter novitatem ac studium omnia reformandi sese suspectum redderet. Quod quidem an consiliis quoque reipubl. datis, quæ ipsum sæpe occupatum tenuerunt, acciderit, nostrum non est nunc judicare. Quando verò sententiarum quarundam communium tam in Theologia quam Philosophia, & quæ longo temporum rerumque usu receptæ fuerant, veritatem aggressus est, nec apertè tamen dicere ausus, quod sentiret, sed potius per cuniculos & ambages quasi multa attentavit, tantum abest ut speciem opinionibus suis apud peritiores pepererit, ut potius tum in Anglia tum alibi passim censuram multorum incurreret. Neque id mirum. Pollebat ille autoritate, quam auxerat studium & insignis rerum variarum cognitio; & quemadmodum olim Aristoteles forte ac Plato, aut verò nostrâ ætate vel Cartesius vel Gassendus eo plures sibi concitabant adversarios, quo major illorum copia erat, quos in partes vel scripta ipsorum vel ipsi pertraxerant, sic quoque, quæ nomen alioqui ac gloriam Lokkio nostro jure poterant afferre, timorem à periculis gravioribus plerisque incutiebant.

Nihil jam dicemus de scriptis ejusdem politicis & historicis. Neque posthuma attingemus, tractatum nempe de Gubernatione intellectus, & opinionis Malebranchii, quod in Deo omnia videantur, Examen, discursum sive sermonem de Miraculis, occasione speciminis super miraculis a Fleetwodio editi consignatum, partem Epistolæ IV. de Tolerantia, Autori alterius ad ipsum epistolæ oppositam, quæ junctim una cum

Commentariis ad vitam Antonii Comitis Schaffnaburgensis nuper admodum prodierunt. Hæc enim ante editionem non revidit Autor. Quod tamen Epistolam de Tolerantia attinet, primam ideo miserat Lokkius ad *T. A. R. P. T. O. L. A.* id est, Theol. apud Remonstrantes Professore, tyrannidis osorem, Limborchium Amstelodamensem. Unde examen incurrit Theologi alicujus quod limites tolerantiae civilis atque sacrae inter se confunderet, nimiumque ampliaret.

Sed plus negotii causatum est opus illud satis notum de *Intellectu Humano*. Quod quidem qua ratione ortum sit, ipse tradit Autor in præfatione. Conveniebant nempe sex ejus amici in Lokkii museo, in difficiles nodos sese incidisse, quos solvere haud poterant, inter disquirendum de rebus diversis deprehendentes. Cumque rectam ipsos methodum haud invenisse, utut valde ideo perplexos, sed oportere expendi animorum nostrorum vires, ut videremus, quibus disquisitionibus pares sint, quibus impares, Lokkius monuisset, primò, ut huic operæ inciperent incumbere, utrinque consensum. Sic *præpropera quaedam*, ut Autor fatetur, & *incomposita* sibi enata sunt, & quorum argumentum prorsus novum erat. Quod ergo casu hoc modo enatum & in proximo conventu scripto exhibitum, in majus deinceps auctum, & ab ipso ad eam, qua nunc est, molem redactum fuit. Sex illis librum hunc tantummodò se destinasse, inquit, & fuerunt ex his collocutores Limborchius & Clericus, quemadmodum posterior ipse in vita Lokkii commemorat, & singulis hebdomadibus ad proponendas quæstiones hos congressus institutos fuisse atque ordinatos, testatur. Contigit hoc anno MDCLXXXVII. quo
itidem

itidem interruptis abitu ipsius colloquiis Epitomen fecit libri memorati, Gallice redditam à Clerico, & ab eodem in Bibliotheca Universali primò ferè omnium publicatam. Hinc aliquoties deinceps variis linguis editus est liber, donec ipse tandem auctor Lokkius Latino idiomate multo auctiorem in Anglia emitteret. Quisquis prolixas has meditationes perlegerit, facile intelliget à vero haud abesse, quod jam ante per eruditum Novorum literariorum in Belgio Collector, Bernhardus notaverat, stylo valde diffuso uti Lokkium, & sæpius res easdem ad nauseam usque repetere, quæ certè nequaquam virtus est, aut proprium Philosophi, verbo, quantum fieri potest, cuncta concipi entis. Cui id quoque addendum, quod inde non possit non parùm interdum sibi constare, aut quo respiciat, quamque tandem sententiam amplectatur, haud æque feliciter, seu studio id fiat seu casu, clareque exponere. Imo tanti studii est, tegere errores, ut in ipsâ excusatione vitium aliquando appareat.

Fuit, qui cum Scepticis colludere per totum volumen, eum arguit auctor aliquis Anglus, libro, qui inscribitur: *Antiscepticism, Or, Notes upon each Chapter of M. Loks Essay, concerning Humane Understanding i. e. Antiscepticismus, si ve nota ad quod vis caput Tractatus Lokkiani de Intellectu Humano.* Cujus quidem vitii non poterat non statim ab initio suspicionem movere libri primi. Siquis, inquit ibi, omnes opiniones, quæ hominum imbuerunt mentes, intueretur, si illarum animadverteret repugnantias, & secum cogitaret, quam a vide homines istas amplexantur, & qualiter de illis tuendis inter se digladiari solent, haud immeritò fortasse suspicaretur, illud, quod verum dicitur, aut nusquam inveniri, aut latere in occulto, nec hominibus idonea satis argumenta

Factum hoc
Ao. 1700. &
hæc editio
pro optima
habetur.
Vid. Vita
Lokkii in
Nov. Lit.
Hamburg.
Mens. Aug.
MDCCVII.

Londini
1702. fol.
cap. 1. §. 2.

suppe-

202

suppetere, quibus cognitionem ejus assequi possint. Philosophum itaque decebat, statim addere iudicium, an verum illud diffidens hisce prorsus tollatur, & quænam inde particulæ, aut ex quo fonte adhuc haberi possint. Verùm quanquam hoc statim in sequentibus exequi videatur, quæcunque tamen scire nos certe novimus, eis ambigua substernit fundamenta, quales sunt Ideæ ipsius, quibus deinceps ipse parum fidei adhibet. Quod quidem verba illa, quibus utitur de ideis corporum, ut omnium primis ac facillimis, porrò evincunt. *Ex omnibus ait, fortasse corporibus, quæ sensibus ob-versantur, ideas distinctas, adequatas vero ex nullis puto nanciscimur. Et licet priores illæ nobis sint satis in usu & sermone quotidiano, attamen ubi posteriores, ibi cognitionem scientificam deesse; nec possibile est ut veritates Catholicas, perutiles & minime dubias veritates de iis consequamur.* Invertendus potius ordo erat, & adæquati saltem, non verò distincti omnino corporum conceptus relinquendi, atque sic vis omnis scientiæ, ex prioribus tanquam ex universalibus ortæ, (auctor vocat *veritates Catholicas & minime dubias,*) haud penitus cum autore enervata fuisset. Est sane in rebus aliqua certitudo, quam exacte mentibus nostris attingimus, licet de attributis illarum singularibus, quæ infinita sunt, parum solliciti, adeo ut propterea universalium solum dicatur esse scientia, quod hæc perpetua sint, singularia fluxa & singulis momentis mutabilia; unde etiam a principiis maxime universalibus cognitionem nostram rite ordinatam deducimus, contra quàm sensus nostri facultate suâ nobis suppeditaverant,

Cum verò Autor hoc vitium à se amoliri velit, *posteaquam, ipse arguens, animorum facultates acerrime*

Lib. I. c. L.
§. 6.

CON-

contemplantes, quid ab illis expectandum sit, judicaverimus, haud ab omni studio & labore desides agemus; neque contra cuncta in dubium vocantes, scientiam plane nullam esse statuemus, quod res nonnullae à nobis sciri nequeant: videant, qui eidem dediti sunt, quomodo ex his penitus eum absolvant. Nos certè aliquid inde ipsi imputandum esse arbitramur, praecipuè quod ipsa omnis scientiae principia eaque prima novâ aliquâ methodo aggrediatur. Per ipsam enim naturam innotescere hæc, uno ore fatemur. Ratio est, quod docente nemine statim illa sciamus, quando intellectus suum incipit facere officium, utut implicite saltem & confuse, nec more philosophico. Accedit quod nec de tempore constet, quo primum illa didicerimus. Sic quoque Deum esse, mentibus nostris à naturâ insitum est, prout loqui veteres consueverunt. Joh. Damascenus ἡ γνώσις inquit, τὸ εἶναι θεὸν φυσικῶς ἡμῶν ἐγκάτισταται; Arnobius quisquamne est, inquit, hominum, qui non cum istius principii notione diem primæ natiuitatis intraverit, cui non sit ingenitum, non affixum, imo ipsis pene in genitalibus matris non impressum, non insitum, esse regem ac dominum cunctorum, quæ sunt, moderatorem? Ipsa denique bis cere si animantia muta potuissent, si in linguarum nostrarum facilitatem solvi, imo si arbores, glebæ, saxa, sensu animata vitali, vocis sonitum quirent, & verborum articulos integrare, ita non duce naturâ & magistrâ, non incorruptæ simplicitatis fide & intelligerent esse Deum, & cunctorum solum Dominum esse clamarent?

Sed cum hæc Lokkium non laterent, ille id maxime egit, ut non dari principia insita, ut nec notitiam Dei innatam, evinceret; hinc verò, cum nec omnino dari quædam principia, quæ reliquis essent clariora &

B

omnium

Lib. I. Fid.
 Orth. c. I.
 & 3.
 Lib. I. n. 18.
 contr. gent.
 add. Ter-
 tull. Apol.
 c. 17. & 7.
 Clem. Alex.
 Strom. V. 5.
 Chrysoft.
 Orat. 12.
 Irenæum
 lib. II. c. 5.

omnium ex consensu talia, negari posset, autoritate solum hæc niti asseruit. Inter alia hæc sunt ejus verba:

Lib. IV. 20
§. 8.

Quousque hoc vitio iis vertendum sit, qui docuere dari principia ingenita, principia non esse probanda aut vocanda in dubium, non hic perquiram. (Fecerat enim toto Libro primo.) *Hoc libenter dabo, veritatem unam non pugnare posse cum alia; cavendum tamen puto, ne quid temerè in principiorum numerum cooptemus; discutiendum illud diligenter est, & videndum, utrum quod per se verum est & manifestum, recipimus, an aliorum tantum autoritate nitamur.* Quod posterius fieri, totus in hoc loco est, ut probet. Quænam verò ea sint principia, quæ communiter recepta sint, è collato cum his libro primo hauriri potest. Dubios hic vocat & ancipites sermones: Impossibile est idem simul esse & non esse; quodlibet est vel non est: &c. item principia practica, & quæ Deum ipsum concernunt. Ea si quicquam significant, non magis principia esse, quàm quævis Mathematica, cum universalis illius assensus, quem criterium ajunt, ista summa sit, quod rationis nimirum ductu certam illorum scientiam adipisci, & assensum præbere possimus. Egimus ante hos tres annos in Programme aliquo contra Lokkii illas principiorum impugnationes, & certitudinem æquè ac evidentiam vindicavimus.

De Duplici
autoritate
&c. 1706.

Quod verò in specie attinet cognitionem Dei innatam, quam & omni conatu planè negare solent Soci-niani, ei ne litem jure indiceret aut è medio tolleret Lokkius, Vir M. R. Dn. D. Förttschius curavit, & simul hujus ac Poireti comparationem, & utrum extremorum alter ex his sequeretur, aut in quonam convenirent, vel à Scripturæ S. testimonio omni exceptione majori discederent, evolvit. Quâ etiam occasione non possu-

in Breviario
lectorum
Theologi-
corum Jenæ
ann. superi-
ori 1708.
edito
Part. II. N.
V. & VI.

possumus, quin moneamus, in eo Fanaticis operam dedisse Lokkium, quod certitudinem humanæ rationis convellat, dum primis hujus cognitio bellum indicit, ut de aliis doctrinarum partibus nihil dicamus. Et quamquam hoc magnâ subtilitate & mathematicè valdè aggrediatur, incidit tamen, quod Gassendus de Roberto Fluddio quondam judicabat, cum Mersenni instinctu eundem impugnaret, *negari non posse quin ille re-vera multiscius sit, quin omnibus viris literatis hoc seculo innotuerit, quin bibliothecæ celebres multis magnisque, quæ ab ipso prodierunt, voluminibus brevi complendæ; quæ certe elogia ipsum è Fanaticorum numero, in quo poni solet, haud exemerunt.*

Exam. Philosoph. Fludd. in Præf.

Sed nolumus jam hanc notam ipsi inurere. Altioris indaginis est quæstio de notitiâ Dei, à naturâ ultrò quasi communicatâ. Mittimus quidem Ideas suas innatas Cartesio, neque harum in nos defensionem suscipimus, probè gnari, quid ideo Roelio cum Vriesio aliisque Belgis eruditioribus invicem intercesserit. Egit ideò contra Cartesianos Theologus & Cancellarius Academiae Tübingensis Joh. Adam Osiander peculiari Quæstione, in Collegio quodam Considerationum Cartesian. in dogmata Theologica, & probe distinxit inter Ideam Dei innatam, quam nec *expressam* dicit nec *impressam*, & habitum quendam principiorum aut aliquid habitui analogum, quo principiis firmiter & sine difficultate assentimur. Et sic quoque verba Damasceni paulò ante à nobis allegata, ne confusionem in intellectu pariant, à Thoma exponuntur, & *in meliorem sensum*, ut loquitur Jac. Martini, trahuntur, *quod homini sit naturaliter insitum aliquid, ex quo possit in cognitionem Dei devenire.* ἔμφυτον seu

Cap. III. Th. I.

I. Part. Quæst. II. art. I. Met. Exerc. lib II. Ex. IV. pag. 643.

Disp. de Vi-
sione Dei
Passiva
1674.

insita notitia est, quæ inest nobis à naturâ non quidem actu,
(ut accuratissimus Dn. Joh. Musæus in Disp. quadam
MSta hoc expressit,) sed potentiâ propinquâ, ita ut simul-
ac termini apprehensi sunt, ipso actu se in nobis exerat,
prout rem exprimit Slüterus, Theologus Rostochiensis.
Unde etiam ne excusationem à testimoniis nostratum,
quasi vel inviti secum facere & ex propriâ confessione co-
gantur, Lokkius aliquo modo petere possit, cautè addit
Dn. Förtschius, illos ex nostratibus Lokkio accensendos
non esse, qui notitias insitas per potentiam propinquam
cognoscendi explicant. Addere enim, non nudam esse
potentiam cognoscendi, sed perfectionem potentiæ
cognoscendi superadditam & connatam, lucem intelle-
ctus congenitam, quia intellectus potens, vel in potentiâ
propinquâ constituitur, ad actus cognoscendi per se & im-
mediatè & citrà ullam aliundè assumptam rationem cog-
noscendi eliciendos, quod innatas vocent potentias
secundum quid, id est, eâ parte, quâ continent intellectui
innatam perfectionem, quæ cum specie impressâ simul
fit notitia habitualis & actu primo.

Veruntamen unâ cum ipso cognoscendî ordine ac fa-
cultate conditionem quoque ac naturam principiorum
abrogare, & cum quâvis propositione aliâ commiscere, de-
mentia est, & ἀπαιδευσία arguit, ne dicam impium quo-
que videri, sensum illum Numinis in dubitationem voca-
re, quem omnes gentes, si non perfectum ac planè distin-
ctum, saltem aliquem tamen inde fermè ab ortu habere
dicuntur. Et proinde meritò sub examen vocatæ ibidem
sunt theses, quas Lokkius ad destruendum prima philoso-
phiæ principia conjunxit, sequentes: (1) Quod cogno-
scere sit idearum quarumvis connexionem & conve-
nien-

nientiam five inconvenientiam & repugnantiam percipere. (2) Quod Idea fit objectum cogitationis. (3) Mentem esse instar tabulæ rasæ, omnium characterum expertem. (4) Omnes ideas esse ab experientia. (5) Incipere Ideas, quando primum homo habet sensationem. (6) Perceptionem fieri, cum mens impressionem recipit. (7) Ideas nihil aliud esse, quam Actuales perceptiones, nec in mente existere, nisi percipiuntur. (8) Non alium præter hunc modum inveniri potuisse, per quem rerum ideæ in intellectum intromittuntur. (9) Hinc nulla principia esse ingenita. (10) Nec consensum universalem id probare. (11) Dei ideam non esse innatam nec ingenitam. Quæ quidem sic satis benè omnia cohærent, nisi voces passim laborarent obscuritate, quæ si evolvatur, facile iterum diffluent. Nam quod cognitionem attinet, ea nunc confusa est, nunc verò distincta. Illa certè haud æquè rerum convenientiam animadvertit, & habet etiam intellectus, quas percipit, notiones primas. Deinde verò ambiguum est dicere, quod ideæ sint cogitationis objectum; rectius res ipsæ sunt. Porro experientia admodum latè sumitur, si capias pro operatione hominis universâ; nec certè hujus initium five per sensationem, ut Lokkius loquitur, five perceptione fiat, definiri poterit. Quod verò vocem percipere attinet, de eâ idem judicandum, quod de cognitione. Atque sic patet quicquid de modo cognoscendi dicitur, illud omne in ambiguo positum esse, nisi illa primum ritè exponantur, & confusione illâ, quâ involvi solent plerumque, liberentur. Principia enim prima cognitionis, uti & notitia Dei, de quâ sermo est, unâ cum primis notionibus intellectui insunt, atque adeò

à nemine unquam determinatum est, nec fortè determi-
nari poterit, quo momento mentem primùm ferire aut
afficere incipiant. Secus tamen judicandum de cog-
nitione accuratiori. Tacebimus Lokkium, quia modum
sefe haud invenisse queritur, male statim pergere ad rem
ipsam negandam. Quæ est sciolorum quorundam, *ἦνεν*
illud Aristotelis nescientium, & sine *παιδεία* philosophandi
ratio.

Quæ eò quoque perduxit hunc philosophum, ut
circà revelationis divinæ ac rationis sibi relictae discrimen
hæsitaverit, neque novis loquendi formulis feliciter ex-
tricare sefe potuerit. Notavit ideò præcipua D. Förtfschius:
(1) Quod revelatio sit ratio naturalis novis quibusdam in-
ventis nobis immediatè à Deo traditis auctior facta, quæ
vera esse ratio ostendit per testimonia & argumenta, qui-
bus ea à Deo manasse, convincit. (2) Qui deprimat ratio-
nem, ut extollat revelationem, lumen utriusque extin-
guere. (3) Utrum divina sit revelatio, rationis esse
dijudicare, quæ haud sinat unquam, ut mens argumen-
tum obscurius præ evidentiore, aut probabile præ cer-
titudine amplexetur. (4) Fidem cum ratione concur-
rere certitudinis gradu. (5) Vim omnem certitudinis
ex nostrâ notitiâ pendere, id à Deo esse revelatum.
(6) Ubi propositio revelata à cognitione nostrâ diffidet,
opponi, nostram rationem non esse destructam à Deo
brutis que deteriolem. (7) Haud æquum igitur esse,
ut propositioni cuivis tanquam divinæ revelationi assen-
tiamus, quæ cum clarâ nostrâ cognitione intuitivâ plane
pugnat; e. gr. Ideæ unius corporis & loci unius inter se
planè conveniunt; illam ergo convenientiam menti
adeò perspicuam esse, ut nos propositioni assentiri ne-
que-

queamus, quæ dicit: idem corpus in duobus simul locis esse, etsi ea divinæ revelationis auctoritatem præ se ferat. Quamquam verò hæc aliquo modo excusationem mereantur, siquidem jam diu evictum fuit à nostratibus, rationem revelationi non adversari, neque hæc à se invicem superari veritatis gradu ac certitudine, est tamen cur rationem humanam, si simpliciter & sine determinatione veritatis sumimus, divinæ auctoritati postponamus. Lokkius verò sic nudè & sine additione sumere videtur.

Ac certè, quo jure porrò suspectus sit, liber ille, cujus historia in ejus vitâ habetur, & quem publicavit nomine suppresso, titulo *Christianismi Rationabilis* inscriptum, fatis demonstrat. Meritò hunc, postquam Anglico item ac Belgico sermone iterum recusatus esset, refutavit Theologus aliquis Anglus, utut ab alio V. D. Ministro, Boldio nomen erat, duobus sermonibus præter opinionem & fortè etiam invitè defenderetur, cum autor lateret & propositum. Gliscebat hæc lues tum temporis, & scripserat paulò ante Tolandus librum ejusdem farinae, quem vocaverat *Christianismum non mysticum*, quamquam nomen non adderet, eoque rationem descripserat per claram convenientiæ idearum perceptionem. Cum ergò huic accederet Lokkius, prout sæpius ex ipso Tractatu commemorato apparet, omnes unâ operâ impugnavit Eduardus Stillingfleet, Episcopus Vigorniensis, in *Vindiciis pro doctrina de Trinitate*.

Lokkium ergò eorundem quidem errorum ac criminum cum altero illo Autore non accusat, ex iisdem tamen principiis facile similes errores defendi posse autumat,

Lib. IV. c. 18.

Anno
MDCXCV.
tit. *The Reasonableness of Christianity.*

An. 1697.

Anglicè
scriptæ sunt
& Londini
excusæ
1697.

mat, ac proinde exempli loco sub finem perstringit, quod nec sensatione nec reflexione substantiæ ideam constare, & potius esse illud *aliquid, nescio quid*, Philosophi ex Indis, interroganti, cuiam rei terrâ inniteretur, & nunc elephantem nunc testitudinem, tandem verò, nescio quid, respondentis, Lokkius prodidisset. Stillingfleetius rectè quidem instat, per substrati suppositionem concipi. Sed alter consuetudinem vocat supponere. Episcopus iterum, hanc ratione niti. Atque hæc profectò non levis momenti est, quoniam sæpissimè cogimur nomina quædam universalia supponere, quorum quidem tantum abest, ut rationis ac certitudinis fundamentum in clarâ & distinctâ Ideâ collocetur, ut potius Entis primi atque nobilissimi omnium certissimeque existentis idea, quæ ipsius Dei est, nunquam satis propter varietatem connexionis appareat. Eandemque ob causam notatum fuit ab Episcopo, quàm supinè rejiciatur ab ipso Lokkio, quicquid ille argumentorum in demonstrationibus de Deo in clarâ ejusmodi & distinctâ perceptione posuerat, ut nihil de reliquis dicatur spiritibus, dummodò certas horum Lokkius concesserit ideas. Quod igitur substantia nec consistat in tali simplicium idearum connexionem, nec quoque exinde innotescat, cum ex classè universalium sit, rectè non in his tantum Vindiciis, sed & in *alterâ* ad Lokkium *Responsione* asserit Episcopus eruditissimus. Et quanquam ille Socinianorum castra sequi nolit, sed horum potius errores, quorum ipsum reum fecerat Stillingfleetius, à se declinet, facile tamen ex his aliisque causis apparet, quàm pronus sit ad illorum defensionem, imprimis cum nunquam serius quàm pro apertâ, quam vocant, & clarâ veritate, quam sola mens

cod. an.

scripta.

Literis ad

Episcopum

Vigornien-

sem, quibus

quædam lo-

ca libr. de

Mente Hu-

man vindic-

cat An. 1697

Anglicè

scriptis.

mens humana suggerat, ubique dimicari consueverint. Et fuit sanè ex eodem fonte, quod unà cum mysteriis rationem nostram transcendentibus spirituum quoque naturam tollat. Nec enim putandum, quasi in hoc sequatur exemplum Patrum solùm nonnullorum vel Philosophorum, quippe qui corpus & substantiam pro eadem re habuerunt, discrimen nihilominus inter hæc & reliqua corpora admittentes, sed longè plura ex his deduxit, haud leve periculum quæ minantur. Verba sunt illius de spiritibus: *Ideis afficimur materiæ & cognitionis.* Lib. I. c. 3.
At fortasse haud manifestò comperiemus unquam, utrum Ens aliquod purè materiale cogitet nec ne; nobis enim impossibile est, nostras tantùm ideas intuentibus sine revelationis adminiculo discernere, annon Deus omnipotens quibusdam materiæ portionibus aptè dispositis percipiendi & cogitandi facultatem tribuerit, aut materiæ ita dispositæ cogitantem substantiam immaterialem adjunxerit. Huic verò opinioni, ne improbitate aliquâ laboret, speciem conciliare nititur, *Morum* inquit, *honestati atque rei religionis satis prospectum erit, sine Philosophorum argumentis, qui animam immaterialem esse docent, quoniam manifestum est, eum qui nobis sensu & ratione præditis hinc existendi initium primò tribuerit, effeceritque ut per aliquot annos in eodem statu maneremus, non posse solummodò, verùm etiam velle eundem in nobis in aliâ vitâ resuscitare, ipsumque tunc hominibus ea retributurum, quæ in hac vitâ fecerint.* Sed hæc promiscuè & sine discrimine differi atque demonstrari, vel illud doceat, quod sic nullo modo constet, an omnes homines iterùm resuscitare velit, an verò pauciores solùm, quibus favet, aut quo pacto hoc facturum sit Deus, an solùm memoriam ipsorum restituendo, an verò totam substantiam renovando,

C

vando,

cod S.

vando, item si substantiam iterum produxerit, an hujus tantum aliqua pars proditura sit, an verò integritatem tota sit recuperatura, & quicquid horum fiat, an eadem an alia prorsus & de novo iterum creata resurrectura sit. Alio loco de hac materia differuimus.

Disp. de Na-
turali Ani-
mæ Huma-
næ Immor-
talitate
contra
Dodwell.
& alios
1707.

Hic ergò saltem notamus, quàm pulchrè tandem ad Socinianos hæc accedant. A quibus etiam eò minus sese liberare potest Autor, quod literis ad Episcopum Vigorniensem posterioribus defensionem viri cujusdam ex hoc genere annectat. Philosophiam quidem ista præcipuè concernunt, sed & usum suum in Theologiâ demonstrant insignem, ideoque nec prætermittenda, sicubi vim patiuntur. Neque est, quod sese excuset Lokkius, ac si nihil ipsi rei cum controversiis fidei, quoniam sermo potius sibi sit de modo cognitionis, qui pertinet ad artem ratione rectè utendi; nisi quis dicere maluerit, ideò impugnandam esse ipsius philosophiam, quod per sensationem & reflexionem non distincti conceptus Justificationis, Liberi Arbitrii, &c. producantur. Nam ponamus, hæc non posse produci per hæc duo *verba*, vitio certè laborabit capitali ejus philosophia. Est quæ distinctos horum conceptus producat scriptura sacra, sed eandem reflexionem, hoc est, eandem cogitandi atque argumentandi viam suggerit ubique philosophia. Si que hæc contraria doceat auctoritati divinæ eamque oppugnet, erronea est ac falsa; si solidis regulis haud succurrat manca & mutila. Jam fiat judicium de allegatis.

Monstri est instar, quod de materiâ cogitante, & sic quoque de Deo aliquo corporeo & materiæ haud experte, qui ab æterno fuerit, ejusdem peperit philosophia.

phia. Huc enim tendunt, quæ Deum ab æterno
fuisse Ens cogitativum, penes ipsum evincunt, quæ ita
habent: *Quare si perspicuum est, Ens aliquod necessario ab
æterno extitisse, haud liquet Ens illud necessario esse Ens cogi-*
tativum. Non minus etenim repugnat, ut ex materiâ inco-
gitativâ Ens cogitativum, quam ut ex nihilo aut Entis omnis
negatione Ens positivum aut materia nasceretur. Pona-
mus verò eum hoc modo investigare naturam Dei, &
sic gradatim per varias concessiones eò tandem, quò
vult, ascendere, multa tamen hinc oriuntur absurda &
omnino insulsa, quod illa, quæ ad tempus veluti conces-
sit, adversariis haud iterum eripiat. Idem fecerit, qui
vel Spinosæ dederit, Naturæ universæ ordinem esse
Deum, vel famoso illi Atheo Vanino, hoc quicquid
sentimus, ab eodem nullâ ratione distingui, & deinceps
quænam absurditates illas comitantur, neque indicaverit
prorsus neque removerit. Est aliquid largiri, sed subsi-
stere non decet, aut nihil idèò repetere. Nimum certè
sic hostibus donabit Autor, prout etiam apparet, cum
porrò Ens quoddam materiale pro Deo habet cum Pan-
hylis. Hoc enim est, quod sibi ex his objicit, nec ta-
men negat. *Primò inquit, fortasse dicent, etiamsi luce*
clarius sit, Ens aliquod ab æterno extitisse, atque Ens etiam
illud intellectu necessario præditum esse, hinc tamen non
efficitur, illud non esse materiale. Quid si demus illud. Haud
minus tamen sequitur, esse Deum. (At quæso! qualis hîc
Deus est? audiemus:.) *Si etenim Ens est æternum, omni-*
scium, omnipotens, consequens est, esse Deum, si-ve Ens illud
materiale esse concipitur, nec ne. Meritò quis petat con-
sequentiam, aut verò si supponatur tale Ens materiale,
antecedentis veritatem. Nunquam enim majus vide-

Lib. IV.
c. 10 §. XL

l. c. §. 13.

VI. d. 17
17. 10. 17

retur absurdum, nunquam tam informis chimæra, quàm
Deus æternus, omniscius, omnipotens, nec expers
materiæ. Sunt illa attributa divina, quæ in se ac pro-
prio suo conceptu afficiunt Ens independens, materia
verò dependentiam primo statim conceptu involvit.
Quænam ergò & quàm aperta contradictio? Ridebunt
hæc argumenta Athei obstinati, atque eò firmiter suâ
stabant sententiâ. Deum suum defendent, sed illos se-
cuti, *queis Numen in hortis crescit* juxta Juvenalem. Quic-
quid materiæ, utut subtilissimæ & solo intellectu con-
cipiendæ somniaveris, materia est, corrumpi potest, &
in nihilum redigi, unde cepit. Ipsum illud infinitum,
quandò limites intellectus nostri subit, finiti naturam
induit, in quantum ab illo comprehenditur, quantò
magis materia physica, de quâ sermo est sine dubio
Autori.

Sed mittimus hæc, atque verbo tantum monemus,
non unâ vice videri, quasi parum sibi constet Lokkius;
neque hoc mirum. Claris ideis inniti vult demonstra-
tionem de Deo, quam suppeditat, & propterea putat
tantò certiores; alios verò, quandoquidem Deum per
Ideas obscuriores, quales sunt substantiæ immaterialis
ac independentis, describant, rem in dubio relinquere.
Et causæ utique sat graves sunt, cur rationem sine ideis
certitudinem non gignere afferat, quemadmodum nec
sol sine oculis lucem. Verum idem certitudinem non
ab ipsis quidem ideis, sed à conceptione convenientiæ
& disconvenientiæ idearum eodem loco vult deducen-
dam. Si id intendit, quod in hac rerum connexionem
vel discrimine semper τὸ πῶς, *quomodo*, aut τὸ διότι, *quare*,
& quidem à priori scitu necessarium sit, atque hinc de-
rivat

rivat illam rerum certitudinem, oppidò fallitur. Si verò τὸ ὄν, quod sit, faltem ab ipso requiratur, verè sentit; & sic claræ satis sunt Ideæ illæ substantiæ atque rei immaterialis atque independentis in Deo, & firmo stant talo demonstrationes, quibus asseruntur. Nam clarissimè ostendunt, quod res istæ, quarum ideæ sunt, nulli mutationi nullique corruptioni obnoxiaæ sint, adeòque in perfectâ quâdam veritate ac certitudine positæ, cum quæ accidunt substantiæ aut materiam continent, singulis immutentur momentis.

Idemque statuendum quandò Lokkius personæ vocem in se spectatam omni planè significatione privavit, cumque nulla sic ad illam pertineat idea, sed potius ad naturam, nil propriè dici posse veram ejus ideam, sed ex usu linguæ ideæ cuidam vult esse assignatam. Quasi hoc de voce naturæ eodem jure dici nequeat. Novimus autem ex quâ scholâ hæc omnia prodierint. Si quis velit, adeat Liberii de S. Amore, qui Autor fortè haud incognitus fuit Lokkio, *Epistolas Theologicas*, & quidem Epistolam Primam *de unione Hypostatica duarum Christi naturarum*, ubi paria de conceptu personæ ac suppositi inveniet. Monet quidem Lokkius in alterâ suâ ad Stillingfleetium Responsione, non actum propterea esse de Trinitatis Mysteriis; sed bene ille fecisset, si aliis verbis eandem rem reique modum, quod subtilissimè aliàs præstitit, explicuisset. Sed verendum est, ne quid lateat. Hinc uberius respondit Episcopus alterâ vice, ut tertiam addiderit Lokkius. Ne verò soli quid observasse aut frustrâ videamur, extat hâc de re *Differ-tatio peculiaris in Angliâ excusa*, quæ præcipuè ex hujus *Tractatus Lib. IV. cap. X.* ostendit, perperam, quæ vel

Epistolâ illâ
quæ scripta
est 1697. &
paulò ante
allegata.

de an. 1699.

1698.

1699.

Naturam Dei vel doctrinam Christianorum, vel methodum denique docendi attinent, ibidem proferri, imprimis cum hoc caput compendium quasi referat libri totius. Titulus est: *A Dissertation &c. i. e. Dissertatio ad Cap. X. Lib. IV. Libri de Intellectu Humano Johannis Lokkii &c. ubi deteguntur ac refutantur conatus illi, quibus Hypothesin Atheisticam Spinosæ pluribus in locis assertum it in hoc opere, & præcipuè in hoc decimo capite. Quibus accedunt Annotationes, quam sententiam cum de titulo, tum de opinionibus hujus libri perniciosissimis fovere liceat sequentibus:*
 (1) *Quod Religio Christiana rationi maximè sit conformis.*
 (2) *Quod Christianismus Mysteria non contineat.* (3) *Jura Ecclesiæ Christianæ &c. ubi ostenditur hanc sententiam & opiniones hypothese hujus libri de Intellectu Humano inniti, Autore Carrolio.*

Londini
 exc. 1727.

Primò pro-
 diit Anglicè
 1693. hinc
 ter vivente
 autore, &
 quintò post
 fata ejus.
 Gallicam e-
 ditionem
 Præfatione
 & Notis au-
 xit *Petrum*

Pauca adhuc dicere attinet de reliquis Lokkii scri-
 ptis. Libro nempè hoc memorato adultiores vult eru-
 diri, pueros verò imbui eâ ratione, quam præfert liber
de Educatione Infantium. Fatemur non sine doctorum
 applausu hunc sæpius editum. Ac pretium certè in eo
 merentur pleraque. Si quis enim honestum & naturæ
 humanæ per omnia conveniens vivendi genus respiciat,
 quale nobis Gentilium fortè philosophorum aliquis de-
 scriberet, parùm habebit, quod adhuc desideret. Sed
 plura utique in educatione liberorum postulamus Chri-
 stiani. Religione ante omnia opus est, eâque non
 com-

Coffe, interpres, & evulgavit 1695. iterumque juxta editionem auctiorem 1708.
 Amstelod. Meminit in Præf. alius edit. Genevæ Gallicè recusæ. In Belgicum &
 Germ. idioma translatus prostat Gryphiswaldæ tit: *des Herrn Joh. Locke Gedan-
 ken von Erziehung Junger Edelleute* curante *Seb. Gotfr. Starkio* LL. O. Pr.
 1708. cum Annot. it. Lipsiæ 1708. ap. Fritsch. sub tit. *J. Loks Unterricht von
 Erziehung der Kinder* etc. cum *Fenelonis lib. de Educatione filiarum, Annot. & Præf.*
 accessit *Vita Lokkii è Gallico Clerici.* Rationem nominis *Nobilissim* dat *Costius*
 in Præf. Gallica.

communi tantum, qualem humano generi ratio fug-
 gerit; nec enim hæc sufficit ad placandum Deum vel
 ad veram vitæ nostræ tranquillitatem: sed tali potissi-
 mum qualem ipse Deus legibus suis nobis revelavit. Si-
 que hæc pro diversitate ingeniorum ab omnibus æquè
 capi non possit, non horum solum, sed & ætatis in homi-
 ne ac variæ vivendi conditionis habere rationem obstrin-
 gimur. Quod si jam librum ipsum percurramus, videam-
 usque, quales hîc erudiri velit Lokkius, tum pueros
 eâ ætate, quâ variis jam scientiis excoli possunt, tum de-
 nique reipubl. aliquandò & autoritate & consiliis adfu-
 turos, non est, quasi hos ad intelligendum Christianæ
 doctrinæ articulos atque credendorum summam ineptos
 esse, vereamur. Benè igitur habet, quòd Dei ideam
 inde à principio vult implantari tanquam Entis supremi
 & independentis, à quo sunt omnia, quæ habemus. §. CXXXIX
 Item amorem ergà hoc Ens summum atque optimum edit. Gallicæ
 inspirandum esse. Solum enim videre & gubernare Costii.
 omnia, & reddere bona suæ voluntati obtemperantibus.
 Quæ certè omnia intelligi possunt, etiamsi juxtà natu-
 ram suam, aut ad *axe' Beau* quandam examinare, vel peri-
 tissimis grave sit multoque cum labore conjunctum.
 Miramur tamen cur Autor horum faciles puerisque
 æquas ideas esse largiatur, quales sunt supremi atque in-
 dependentis, & tamen spiritus à corpore distincti con-
 ceptum turbare animos eorum statuat, adeoque eò
 haud esse procedendum, ut Deum per Spiritum ex-
 primendum esse aut concipiendum, eos doceamus. Id
 certè primum erat, non absque fundamento toties in
 sacris literis inculcatum, spiritum esse Deum & in spi-
 ritu ac veritate velle adorari. Quod & suprâ captum Joh. IV. 24
puero-

puerorum non est, naturam corporum jam specularium, & ab animâ cæterisque visum sensusque omnes fugientibus, distinguendum, dummodò à materiâ animus ipsorum paululum avocetur, atque Spirituum proprietates per negationes illarum rerum, quæ iisdem haud conveniunt, ut sunt, quod videri nequeant, nec tangi, nec audiri nec spatio quoque propterea includi, utpote quæ conveniant solis corporibus, describantur. Versatur in hoc utique non leve momentum, quod vel exinde apparet, quod sic rectius divina capiatur substantia, à creaturis planè distincta, cum aliàs in proclivi sit, mirificos, nec sine maximo idololatriæ periculo de Deo imprimere conceptus, quibus in materiâ præcipua supremi Numinis & quærantur & adorentur attributa. Sed hæc sunt, quæ Autor effugere nequit per philosophiam suam, prout ante ostendimus.

Quod reliquum est de attributis divinis, primas saltem illorum ideas pueris tradendas esse ducimus, nec tamen spernere omninò crescente ætate uberiores illorum considerationem. Ideòque nec auctori accedimus, quandò omnibus sine discrimine non superfluâ solùm hæc, sed noxiâ quoque supersedendum putat. Hæc enim ex editione Gallicâ verba ipsius: *Pour moi, je croi qu' il faudroit beaucoup mieux, qu' en general les hommes s' arretassent à l' idee de Dieu, que nous venon de proposer sans s' enquerir trop curieusement des proprietes d' un être, que tout le monde doit regarder comme incomprehensible. Esse plures, qui propter ingenii hebetudinem ignorent differentiam illorum, quæ cadunt sub intellectum, qui ideò in superstitiones & Atheismum incidant, Deumque similem sibi faciant, cujus formare nequeant Ideam,*
ultrò

ultrò quidem accedimus. Sed horum vitiorum originem in sententiam auctoris rejecimus, idque fecimus jure longè meliori, nisi ipse aliter fortè definiat Atheismum & superstitiones, quàm hætenus definita sunt omnium ferè consensu. Devotio puerorum laudabilis est, sed nec minus contemnenda juxtà ipsum autorem vera eruditio, quâ utrique illi malo occurrant. Unde excedit rei mensuram, quando nihil per totam juventutem de spiritibus horumque essentiâ dici vult, nihil de f. CXLII spectris & apparitionibus, donec quisque expendere possit scripturam sacram. Quandò ergò expendere incipient? scilicet cum falsis occupati sunt præjudiciis, nihil horum dari in universum. Tanti constabat, metum spectrorum eximere, ut plane nesciantur.

Sed & in aliis fidei Christianæ capitibus eadem ratio. Lætionem non vult progredi pueros ultrà symbolum Apostolicum, Orationem Dominicam, & Decalogum. f. CLX. CLXI & CLXII, tam verò bibliorum prohibet pueris; imò nec Evangelia nec Acta Apostolorum legere posse, cum non capiant, arbitratur. Nimirum si hospites in his illos intelligas, qui juxtà ductum auctoris nullum alium de rebus divinis fovent conceptum, quàm iste tradidit. Si plura scire appetunt, prout omninò convenit indoli generosæ, profectò reprimendi non sunt, quod ille vult, sed manu ducendi. Sique historiæ v. gr. Josephi, Davidis & Goliath, non excedunt captum ipsorum, aut brevia quævis præcepta aliunde sumpta, ne dicam de Arithmeticâ, Astronomicâ, Geometriâ, Jure civili, omnibusque artibus ac disciplinis, quas iisdem proponendas esse præscribit, cur tam perspicua, qualia in scripturâ pleraque f. CXLII
D sunt

sunt, fugerent ipsos, aut quiddam parerent incommodi?

Propria certè castra autor aggreditur. Dabimus tantisper, non tamen quasi debeamus, sive verba sive res significatas pueris videri difficiliiores, cur Catechismos vel Institutiones Theologicas verbis Scripturæ S. concipi solis, atque illis tradi cupit, *non de la maniere, que des Hommes entêtez de certains systêmes e Analogies de Foi pretendent les exprimer*, i. e. prout ipse inquit, *non eo more, quo quidam Systematum atque Analogiæ fidei autores morosi animum talia exprimere inducunt, ita ut alios cogant, qui suis expressionibus utantur*. Equidem Catechismum, quem citat, Worthingthonii non vidimus, unde nec judicare possumus, num provecioribus inserviat. Id verò procul omni dubio est, quod in annotatione ad hæc Gallus habet interpres, *qu' un Theologien peut fort bien composer un tel Catechisme, ou il fera entrer tous les Dogmes de son parti, soit qu' ils soient fondez ou non sur des passayes formels de l' Ecriture sainte*, posse nempè utique Theologum tales componere Catechismos, in quibus omnes illæ doctrinæ, quibus accedit ille, occurrant, sive ipsis verbis in scripturis sacris fundentur, sive minus. Et meritò idem se videre negat, quî consilio suo incommodis mederi possit Lokkius, ne sinistros de quibusdam aut confusos pueri foveant conceptus, nisi fortè intelligat Articulos fidei non impugnatos, sed ab omnibus Christianis eodem modo explicatos. Quod quidem velle Lokkium idem putat interpres. Monstri igitur aliquid alit, quandò statim ejusmodi Catechismo non quidem credenda reliqua, sed moralia è sacris literis subjun-

subjungenda præcipit, ne ingenium fortè obruatur minus necessariis, & ab aliis discendis, quorum ipse longam seriem annectit, retrahatur. Adèd quidem religionis puritas dignitasque postponuntur. Exemplo suo alios autor docere poterat, quantis hæc res obnoxia sit periculis. Ipse, ut ex ejus vitâ novimus, paucis annis ante obitum sacrarum literarum studio cepit incumbere, doluitque meritò, id citius à se factum non esse. Nam quos scripsit in Epistolam ad Galatas, utramque ad Corinthios, Romanos, Ephesios, ingenium quidem ipsius satis ostendunt, Commentarii, siquidem ferre nequit distinctiones vulgares, ut nec modos, extrà textus collationem quicquam commentandi, sed hoc ipso singularia sibi observasse videtur, exemplo illorum, qui è tenebris prodeunt, & repetinâ luce circumdati inusitata se cernere putant. Sed passim tamen hæsitat, & quod inexercitatum arguit, etiam ubi non opinatur, impingit; v. gr. cum ad Gal. III. 21. foedus propriè dictum supponit, à quo Deus invito Abrahamo discedere non potuerit, quod tamen nec superior Dei, nec inferior Abrahami mortaliumque ceterorum conditio admittit.

Sed satis de his diximus, cetera, quæ plura sunt, lectorum industriæ relicturi. Causa enim est, quare hæc præmisimus, quod librum primum speciminis instar, siquidem hoc omnis sapientiæ tam humanæ quàm divinæ principia dudum admissa videntur convelli, aut certè facile ansam dare aliis, de suâ certitudine & evidentiâ dubitandi, Publicis Lectionibus sub initium hujus semestris examinare, operæ pretium fore, constituimus. Auctor in promptu est, siquidem hoc anno

Prodierunt
ad Gal. 1709
ad Cor. 1706
ad Rom. &
Eph. 1707.
Ang. lingv.
cum Præfat.

in formâ minore octavâ juxtâ postremam editionem
Londinensem recusatus est Lipsiæ, & prostat in officinis.
Nos verò, ut non modò clarius content, sed etiam
tantò firmiter hæreant, quæ dicentur, Aphorismos bre-
ves ad calamum dictabimus, dabimusque operam, ut
discursu, quo illos illustremus, non minus utilis quàm
proficua hæc de Philosophiæ principiis materia studio-
sis Commilitonibus evadat, quos etiam, ut die Martis
proximo, qui est XV. Octobris, in Auditorio domestico
frequentes adesse velint, *de cautione circa Philosophorum*

lectionem adhibendâ dicturus etiam atque etiam

rogo & amanter invito. Scrib. è

Museo d. XI. Octobr.

MDCXCIX.

F I N I S.



D 2